



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

6. De ordinatione rationis ad actum interpretandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

*Epist. 89. de
clinando
ad finem.* primo superuacuis repleta fuerint, necessaria non admittit. Seneca: Liberalium artium con-
fectatio verbosos & sibi placentes facit: & ideo non discunt necessaria, quia superuacua didicerunt. Item ad eius ordinationem pertinet, ut caueatur ne multitudo eorum quæ leguntur

*Epist. 2. à
med. illius.* vel audiuntur, memoria confundatur. Seneca: Cum multa percurrens, vnum excipe quod illo die decoquas. Idem; Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris: sat est habere quantum legas. Ruminatione etiam longa infigendum est

Eccl. 38.

memoriæ, quod nolimus obliuisci. Et qui sentit se habere labilem memoriã, Scriptura eius defectum supplere debet. Sapientiam scribere tempore vacuitatis. Bis scripsit Dominus decalogum populo Iudæorum in tabulis lapideis. Etiam habenti tenacem memoriã necessaria est Scriptura, quia, iuxta verbum Senecæ, in memoriã primo senectus incurrit.

*De ordinatione rationis, quantum ad actum
interpretandi.*

CAPVT VI.

ORdinanda est ratio, quantum ad actum interpretandi. Et notandum quod interpretatiua est vis iudicatiua intellectus, & eius duplex est actus: scilicet excogitatio, & significatio. Excogitatio est informatio cogitationis ad exprimendum quod est dicendum. Significatio verò est demonstratio cogitationis formate per verba, vel alia signa. Ad ordinationem interpretatiuæ

tatiæ pertinet, vt quod dicendum est, prius ponderetur in corde quàm proferatur ore. Labia imprudentium, stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In Psal. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Iustus os suum reputat os cordis, scilicet vim cognitiuam, cuius est sapientiam meditari: vt os cordis prius loquatur iudicium, scilicet sententiam examinatam. De ordinatione pertinente ad locutionem, habitū est supra. 2. lib.

Eccl. 21.

Secunda pars de ordinatione voluntatis.

CAPVT VII.

Sequitur de ordinatione voluntatis, cui multum intendendum est. Ordinata enim voluntas, fons est omnium bonorum: inordinata verò fons omnium malorum. Nec prodest ordinatio cæterarum virtutum: si voluntas inordinata remanserit. In libro de vita solitaria: Omnis vitij frustra siccat riuus: si fons non fuerit obturatus. In eodem. Bona voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum; sicut è conuerso mala voluntas, omnium malorum & vitiorum. In eodem: Remissa voluntas facit leuitatem mentis, ex qua prodeunt instabilitas mentis, inconstantia morum, vana lætitia, sæpè vsque ad lasciuiam carnis: vana tristitia nonnunquam vsque ad ægritudinem corporis: & multa alia in negligentia vel transgressione propositi, ex leuitatis vitio venientia. Sic etiam superba voluntas, in magna sæpè cordis inopia, tumentem efficit animum:

Bernard.

L vnde